



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Arnoldus Abbas XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

sultum ivit; Illius quippe operâ & Monasterii & oppidi Schwartzach Advocatiam, ut dicimus, nobis adjudicavit Episcopus Herbipolensis. Denique Rutgerus allodium in Dettelbach à Comitibus in Castell, à nobili autem viro de Steinfeld 6. mansus illius bonorum in Bawlach emit cum tota decima, confirmante hæc omnia Honorio Papâ. Atque ut nihil omittamus eorum, quæ Rutgeri temporibus acciderunt; erat annus 1266., cum festo S. Cyriaci Hennenbergenses magnâ clade ab Herbipolensibus affecti fuerunt. Rutgerus postea anno 1271. è vivis excessit.

ARNOLDUS ABBAS XXVI.

Videri poterat insignem Hennenbergensium cladem optata tranquillitas exceptura esse; sed, nescio quo fato, accidit, ut belli flammæ non modò non restinctæ fuerint, verùm etiam majores clades Schwartzaco nostro incumberent, Arnoldo Abbate electo anno 1272.: Cùm enim Henricus Castellensis antiqua quædam jura in oppidum Schwartzach prætenderet, juncta cum

Hennebergensibus signa in Schwartzacum verte-
runt, incenderunt domos, devastârunt agros,
omnia expilârunt, ex Monasterio pretiosa quæque
asportârunt, Ecclesiam autem flammis absumpse-
runt, Monasterium pariter in cineres redacturi;
nisi Comes quidam Udalricus de Hanaw eorum
se furori opposuisset, quos Bertholdus dein Episco-
pus Herbipolensis Kitzingam inter & Schwartzacum
horribili clade affecit. Calamitas hæc no-
stra multos permovit, ut piâ liberalitate suâ no-
stris mederi vulneribus studerent: Gertrudis de
Zabellstein, ut multos alios missos faciamus, Ad-
vocatiam in Gerlachhausen ab Yrwino Episcopo
Herbip. illi oppignoratam nobis tradidit, Ber-
tholdo & Andrea Episcopis Herbipolensibus con-
firmantibus. Decessit ex hac vita Arnoldus 1290.

SYFRIDUS ABBAS XXVII.

Ordine hoc in sæculo non meritis postremus
fuit Abbas Syfridus Monasterio nostro anno
1290. præfectus; imò præ multis aliis singularem
mereri laudem videtur, propterea, quòd licèt Mo-
nasterium illi traditum sit ære alieno oppressum,
non solùm hæc debita expunxerit; sed nova etiam
eâque